CLAVIS FIDEI,

SEU

Brevia quædam in ſymbolum Apo-
ſtolicum Dictata,

SCHOLARIBUS AVLÆ
CERVINAE *in Academia*
OXONIENSI, publicis
prælectionibus propoſita.

Per JOHANNEM ELLIS *S.S.Theol.*
Doctorem, & Eccleſiæ Whitfildienſis *in*
Comitatu OXONIENSI
Rectorem.

2. TIM. 1. 13.

Ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας, ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

OXONII,
Excudebat HENRICUS HALL Im-
penſis GUIL: WEBB.

M.DC.XLII.

Nobilem habuit familiam, quæ de Insula sive Lisle *denominata, ex qua regnante* Edwardo *Secundo quidam evocatus erat ad Parliamentaria Comitia nomine* Johannis *de Insula Vecta.*

Camdenus de Insula Vecta.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

VIRO

AB antiqua Gentis prosapia, à literis & consiliis præstanti, Domino *Iohanni Lisle*, Armigero, Inclytæ Civitatis *VVintonienſis* Recordatori, & ejusdem in Comitiis Regni Angliæ h. t. Civi meritissimo: Literati ordinis fautori benefico, & amico suo plurimùm honorando.

Hanc Apostolici Symboli Clavem, ut tenue quidem, at sincerum tamen, perpetuæo bservantiæ, & gratitudinis symbolum.

D. D. D.

Virtutum ejus

humillimus cultor.

IOHANNES ELLIS.

VIRO

AB antiqua Gentis prosapia, à literis, & consiliis præstan-
tissimi, Domino Iohanni Lisle, Ar-
migero, Inclytæ Civitatis Wintoniensis
Recordatori, & ejusdem in Comitiis
Regni Angliæ h. t. Civi meritissimo:
Literarum ordinis fautori benefico,
& amico suo plurimùm honorando.

Hanc Apostolici Symboli Clavem,
retenue quidem, ut sincerum tamen,
perpetuæ observantiæ, & gratitudinis
symbolum.

D. D. D.

Virtutum ejus

Humillimus cultor,

IOHANNES ELLIS.

CLAVIS FIDEI.

QVEMADMODVM flumen illud, quod Paradisum irrigavit; sic Ecclesiæ doctrina in quatuor Capita dividitur: nempe, Symbolum Apostolicum, decalogum, Orationem Dominicam, & Sacramenta.

Primò, in Ecclesia vivendum, per fidem. Secundò, ad regulam vitæ veniendum, per præcepta. Tertiò, ne deficiamus, cavendum, per preces, Et cum, his non obstantibus, infirmi sumus, ad gratiæ figilla recurrendum est; quæ sunt Sacramenta.

Primò, fides necessaria est. Sine fide impossibile est placere Deo. *Heb* 11. 6. Summa autem fidei in Symbolo Apostolico continetur. Symbolum vocatur, quia est tessera seu nota, per quam milites Christiani discernuntur ab aliis: vel ἀπὸ τῦ συμβάλλειν, à conferendo, quasi esset ab Apostolis collatum & compositum. Utcunq; dicitur Apostolicum, quia summam fidei comprehendit, quam Apostoli prædicarunt. Scrutandæ sunt Scripturæ, quæ in illis leguntur, sunt credenda; hæc tamen præcipua & fundamentalia

damentalia, quæ simpliciter necessaria sunt. S. *Augustinus* scribit, culpandos esse, non audiendos, si qui fortè dicerent, unde scimus libros illos, unius veri & veracissimi Dei spiritum esse, humano generi ministratos: idipsum enim maximè credendum erat. Attamen non desunt *rationes*, quæ Scripturam à Deo inspiratam esse evincunt: hæc vero potiora sunt: scriptorum authoritas, qui fuerunt extraordinariè vocati & missi. Doctrinæ majestas. Miraculorum amplitudo & claritas. Vaticiniorum veritas. Bibliorum sanctitas; nihil hîc inhonesti, nihil vel contradictorii reperitur. Accedit & illi humilis sublimitas, & sublimis humilitas. Harmonica denique utriusq; Testamenti veritas. Quod in veteri latet, in novo patet.

Lib. 6 confess. cap. 5.

Symbolum autem ipsum, quod ex scripturis desumptum est, duodecim in se articulos, quasi esset Zodiacus Christiani, continet. Hi verò ad quatuor partes reduci possunt: prima, de Deo patre, qui omnia creavit. 8us, de Deo filio, qui homines redemit. Tertia, de spiritu sancto, qui fideles sanctificavit. Quarta, de Ecclesia, atq; de privilegiis, quæ dominus illi communicavit.

Ob. Dicet aliquis: Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, quomodo igitur patri Creatio, filio redemptio, Spiritui sancto sanctificatio tribuitur?

Sol. Hoc fit, non ad excludendum, sed ad distinguendum

stinguendum inter personas, & ordinem agendi. His missis, ad articulos ipsos deveniamus.

Primus est, *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.* Credo dicitur, non credimus, quia unusquisq; debet habere fidem specialem, explicitam, non tantùm implicitam. Non benè possumus oculis videre alienis, neq; in divinis opinari fas est. Invalida est *Gregorii de Valentia* disputatio, in qua de homine non Theologicè docto sic statuit: quod si Romanam Ecclesiam propter externam illius auctoritatem præferat Reformatæ, tum Deum nihil habiturum esse, quod in illo tremendo tribunali huic illiterato homini opponat; nam, ut inquirendo in doctrinam ad cognitionem veritatis perveniat, Deum ab ipso non requirere; cum controversias Theologicas non intelligat: hæc ille. Sed dicat quod velit, substantiam certè articulorum & sensum salutarem, quilibet tenere debet, licet non omnes quæstionum inde orturum difficillimas circumstantias. Jam verò credere non est tantùm scire & assentiri iis, quæ in Evangelio proponuntur, verùmetiam iisdem acquiescere. Aliud est credere Deum, & credere Deo, ac credere in Deum. Primis modis peccatoribus ac Dæmonibus credere competit: tertio modo non competit, nisi fidem formatam habentibus: hoc

Lib. 6. Analys. fidei cap. 13.

modo credere, est per bona opera in Deum ire, inquit Magister. 3. Sent. Dist. 23.

Credere Deum, est cognoscere quòd sit talis Deus. Credere Deo, est confiteri, quòd sit verax: at credere in Deum applicationem requirit, quòd sit mihi Deus. Invenitur fides non recta. Quædam est ficta, & est hypocritarum; dicit Apostolus, quòd finis mandati est charitas, ex corde puro, & fide non fictâ 1. *Tim.* 5. 1. Quædam est mortua, & est peccatorum, sive existentium in peccatis. Fides sine operibus mortua est. *Jac.* 2. 26. Quædam est infirma, & est tepidorum. Infirmum in fide suscipite. *Rom.* 14. Quædam est modica, & est timidorum, ideò Christus dixit: Modicæ fidei, quare dubitasti? *Mat.* 14. 31.

Hucusq; de fide ipsa, jam de fidei objectis, quorum primum Deus est, quem nescire mori, quem nosse vivere est, teste *Augustino*. Et primò demonstrandum est, quòd sit Deus. Hoc fieri potest, ex libro naturæ, quatenus est Creator, & ex libro scripturæ, quatenus est Creator, conservator & redemptor. Deus est cognoscibilis, licet non sit comprehensibilis, ut *Aquinas*. *Sum. part. 1. quæst. 12. Art. 7.*

Esse Deum probant hæc argumenta ex natura petita, quæ tamen sunt scripturæ communia, videlicet: creaturarum ordo pulcherrimus, ut cœli enarrant gloriam Dei, *Psal.* 18. 1. mens hominis, notitiæ principiorum

rum, notitia principii, quòd sit Deus *Rom.* 1.19. pavores conscientiæ in peccatoribus, præmia bonorum, pœnæ malorum, ordo politicus, virtutes heroicæ, inventiones artium, prædictiones futurorum, finis & utilitas rerum omnium, impossibilitas progressûs causarum in infinitum. Ex scriptura autem Deum esse probari potest, ex infinitis ferè testimoniis, ex variis apparitionibus, ex stupendis miraculis, ex propheticis vaticiniis, & admirando rerum eventu. Qui igitur Deum negat, non tantùm ratione, sed etiam sensu caret, ut *Avicenna* dixisse fertur. Manifestum est, quòd sit; jam videndum, quid sit Deus.

Definiri Deus nequit quia immensus; describi potest, Philosophicè & Theologicè.

Philosophicè, Deus est mens æterna, sibi sufficiens, atq; omnis boni causa.

Theologicè, Deus est ens perfectissimum, unum essentiâ, trinum personis.

Theologica descriptio differt à Philosophica, primò, perfectione; nam addit aliquid naturæ ignotum de Trinitate, & quod naturæ est cognitum explicat. Secundò, effectu, cognitio naturalis homines inexcusabiles tantùm facit. *Rom.* 1.20. cognitio autem supernaturalis est salutaris; proinde verus Deus differt à numinibus gentium, attributis, personis, operibus. Attributis, quia extra Ecclesiam non rectè & integrè intelli-

guntur.

guntur. Personis, quia Gentiles Trinitatem ignorant. Operibus, quia extra Ecclesiam admiranda Dei opera, & maximè illud redemptionis, non percipiuntur.

Jam verò omissis aliis proprietatibus, quæ apud Scholasticos prolixè tractantur, ostendam primò, quod Deus sit unus: Jehovah est Deus, & non est alius præter unum. *Deut.* 4. 35. Deinde, summa Majestas non nisi uni soli competit. Perfectissimus non potest esse, nisi unus: Deus autem continet omnem perfectionem sub latitudine entis possibilem. Omnipotens etiam unus tantùm esse potest. Et si plures essent Dii, aut imperfecti omnes, aut reliqui superflui, utrumq; absurdum. Infinitum præterea tantùm unum esse potest, nec potest esse nisi una rerum omnium causa prima: & denique summum bonum tantùm unum esse necessarium est. Deus itaq; est unus, imò & unissimus, ut loquitur D. *Bernardus*.

Ob. Sol. Multi tamen dicuntur Dii. At hoc fit improprie, vel propter quandam similitudinem, vel secundùm vani hominis opinionem. Primò, per quandam similitudinem, vel propter naturæ & sapientiæ præstantiam, ut angeli; vel propter officii excellentiam, ut Magistratus. Vel propter maximam potentiam, ut Diabolus. Vel propter nimiam indulgentiam, ut venter.

Secundò, ex falsa hominum sententia Idola appellantur Dii. Ap-

Apparet igitur, quòd Deus sit unus, hunc ostendendum, quòd sit trinus personis. Lumine naturali Trinitas probari non potest, ut docet *Thomas* contra *Scotum*. *Thom. part.* Vestigia tamen Trinitatis ex creaturis, *1. q. 32.* præsertim ex tribus animæ facultatibus, in- *art. 1.* tellectu, memoria, & voluntate, affert *Lum-* *Lomb. 1.* *bardus. 1. Sent. Dist. 3.* Sed hæc tantùm pa- *sent. dist. 3.* riunt cognitionem confusam, non distinctam. Deus est trinus, sed non triplex, est enim simplicissimè existens: & nos adhibemus Trinitatis vocabulum, non quia scriptura dicit, sed quia non contradicit. Et habetur in scripturis quoad rem, licet non quoad vocem, implicitè, licet non explicitè. Et licet scripturam verbis convenientibus interpretari, præcipuò propter fraudes hæreticorum sub verbis scripturæ suas hæreses ferè occultantium.

Quòd sint tres personæ multis sacræ paginæ in locis habetur, & clarissimè. *Matt.* *3. 16.* Pater clamat, hic est filius meus dilectus, filius baptizatur, & Spiritus sanctus descendit specie columbæ. *1. Joh. 5. 7.* Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo. Pater est à seipso, Filius à Patre ab æterno genitus, Spiritus sanctus ab utroq; procedit. Pater est alius à filio, sed non aliud, & sic de reliquis. At in hac re melior est fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia. Concludo itaq; cum *Roberto Holcot* apud *Quæst. 19*

nos

nos Oxonienſes celeberrimo quondam Profeſſore: quemadmodum refert *Gabriel Biel*. Hæc ille modeſtè:

Quæſt. 10 Determ. 1. ſent. diſt. 13. qu. 11.

Dignè loqui de perſonis
Vim tranſcendit rationis,
Excedit ingenia.
Quid ſit naſci, quid proceſſus,
Me neſcire ſum profeſſus.

Obſ. Sol.

Dicet forſan aliquis: Quod una eſſentia non ſunt tres perſonæ. At verum hoc tantùm de eſſentia finita. Deinde, quòd ubi ſunt tria & unum, ibi ſunt quatuor, & in Deo ſunt tres perſonæ, & una eſſentia. Attamen non ſunt realiter diſtincta. Sed objicietur, quòd eorum eſſentiæ ſunt diſtinctæ, quorum operationes ſunt diſtinctæ. Reſpondetur, quòd hoc ſolùm affirmandum eſt de perſonis eſſentiam finitam habentibus.

Prima verò Trinitatis perſona appellatur Pater. Patris nomen ſumitur perſonaliter oppoſitum filio, & nonnunquam eſſentialiter collatum cum creaturis, pro tota eſſentia Divina.

Rational. Divin. in orat. Dominic.

Prima perſona vocatur pater, vel reſpectu Chriſti, vel reſpectu noſtri. Vel quemadmodum oſtendit *Durandus*, eſt pater omnium generaliter, pater Chriſti ſingulariter: & pater electorum ſpecialiter.

Credo in Deum, non tantùm ad patrem refertur, ſed etiam ad filiũ & Spiritum ſanctum

ctum: Et pater diciter omnipotens, non exclusis aliis personis.

Omnipotens est Deus, quia omnia potest facere, quæ vult, omnia, quæ non implicant contradictionem, quæ non repugnant ejus naturæ: & quia omnia sine difficultate, vel solo nutu, agit, quia solus habet potestatem omnia faciendi: & quia est autor omnis potentiæ creatæ.

Si dicatur, quòd Deus non potest mori, peccare, mentiri. Respondendum, quòd potest Deus, quæ sunt potentiæ, non impotentiæ, pugnaret hoc cum ejus perfectione. Et si dicatur, quòd non potest contradictoria. Respondendum, quòd hoc pugnaret cum ejus immutabilitate, *Ob.* *Sol.*

Argutiolas pertranseo. Hoc præcipuum est, cùm Deus sit omnipotens: qui timet Deum, non habet quod timeat ulterius, & si Dominus nobiscum, quis contra nos?

Sequitur in Symbolo, quòd Deus sit creator cœli & terræ, hoc est, totius mundi. Creatio est rei alicujus ex nihilo productio, estq; vel immediata, primæ massæ, vel mediata, rerum ex illa massa productarum. Hæc vis creandi est solius Dei, non competit creaturis: quia creatura non potest dare simpliciter esse, nec potest esse instrumentum creationis: quia nihil disponitur, quòd præexistat: ut docet *Thomas* de modo emanationis rerum à primo principio, *par. 1. quæst.* 45.

45. *art.* 5. Et certè egregiè admodum *Suarez* in disputationibus Metaphysicis, & *Pererius* de naturali Philosophia, hanc rem probant. Mundum à Deo creatum esse demonstrari potest ex scriptura, atq; etiam rationibus Physicis: non enim est progressus causarum, & effectuum infinitus in natura, & mundus est effectus primus & præstantissimus; ergo à causa primâ, & præstantissimâ. Errant itaq; Philosophi, qui vel mundi æternitatem cum *Aristotele* somniant, vel materiam increatam cum *Platone* præmittunt, vel atomos & concursum fortuitum, cum *Democrito*, *Leucippo*, *Epicuro* inducunt. Errat *Hermogenes*, qui materiam Deo coæternam affirmabat, & Stoici, qui duo principia fingebant.

Ob. At objiciunt Philosophi: si mundus non est æternus, non semper gubernavit illum

Sol. Deus: proinde fuit aliquando otiosus. Respondetur, non ideo fuisse otiosum. Sed quid ergo fecit? Dicendum, quòd elegit nos in Christo ante jacta mundi fundamenta. *Eph.* 1. 4. vel ut S. *Augustinus* respondit,

——fabricavit Tartara, dixit.

His, quos scrutari talia mente juvat.

At omne ortum interit, mundus non interit: ergo. Distingue orta per naturalem generationem, & orta per creationem, tam illa, quam ista, Deus vel conservare, vel in nihilum redigere potest. Iterùm tamen dicetur,

quòd

quòd Dominus & gubernator actu, felicior est eo, qui est potentiâ talis: ergò, aut semper extitit mundus, aut per creationem felicior factus est Deus.

Respondendum, quòd Deo, vt perfectissimo, & felicissimo in se, nihil ex creaturis accedere potest.

Mundus creatus est à Deo patre, per filium, & spiritum sanctum.

Omnia creata sunt ex nihilo, non ex Dei substantia, non ex præexistente materiâ.

Sed ex nihilo nihil fit. *Ob:*

Hoc verum est Physicè, & ab hominibus. *Sol:*

At homo non est creatus ex nihilo.

Verum est respectu materiæ proximæ, sed non respectu materiæ primæ.

Omnia sapientissimè, & optimè creata sunt.

At dicit Propheta: Non est malum in ciuitate, quod non fecit Deus. *Amos* 3. 6. *Ob:* *Sol:* Hoc intelligendum de malo pœnæ, non malo culpæ.

Præterea, creatus est mundus, non subitò, sed sex dierum spatio. In principio *Gen.* 1. in principio universitatis rerum, sic *Basilius* & *Ambrosius*. Ante omnia creata, inquit *Augustinus*. Et creatus fuit propter Dei gloriam, & hominum utilitatem. *Hom.* 1. *Hexam. l.* 1. *de Gen. ad literam c.* 1.

Sub creatione continetur Dei providentia. Deus adhuc operatur conservando, licet non creando.

Sicut nihil factum est, nisi per essentiam creatricem,

creatricem, ita nihil viget, nisi per ejusdem potentiam servatricem, ut loquitur *Anselmus*. *In Monol. cap. 12. Tom. 3.*

Providentia autem est Dei actio, quâ res universas in sui nominis gloriam, & bonorum salutem, liberè, sapienter, potenter, ac benè conservat & gubernat.

Est Dei actio, non enim est otiosa intuitio, sed efficax rerum administratio. Versatur autem circa res universas; minutissimæ providentiæ Dei subjiciuntur, passerculi, capilli, vermiculi. Deus totus oculus, quia omnia, imò abjectissima videt. Et optimè dixit S. *Ambrosius*, si non est injuria, & probrum Dei, minutissimas quasq: res fecisse, multò minùs probrum illius factas regere. Deus liberrimè agit. Deus non necessitati, sed necessitas Deo subjicitur. Errant Stoici, qui Deum ad fatalem causarum necessitatem alligant: Deus omnia agit sapienter, ad quosdam fines, contra Epicuræos, qui omnia fortunâ fieri autumant: Casus & fortuna voces sunt imeruditorum, testante S. *Basilio*, nihil fortuitò fit respectu Dei, sed respectu nostri: & agnoscit S. *Augustinus* se malè fortunæ nomen in scriptis suis toties usurpatum fuisse: Deus agit potenter, nullâ vi impediri, nullâ lege vinciri, nullâ impotentiâ defatigari potest: Deus omnia agit benè, quia est optimus; ex pessimis bonum elicit, & malis bene utitur: Dei autem

1. Offic. c. 13.

Conc. 8. in Psal. 32. Lib. 1. Retr. c. 1.

tem providentia est vel universalis, vel particularis. Illud Apostoli. 1. *Cor.* 9. 9. Num de Deo de bobus cura est? non dicitur absolutè, sed comparatè quod non parem habeat Deus erga jumenta & homines curam, major cura est erga homines.

Nec obstat, quod multa tam confusa sint. Confusa enim reguntur â Deo, sed non confusè; sed quatenus in confusione est aliquis ordo. Neq; etiam obstat tempestatum inconstantia, nam nix, grando, glacies, faciunt voluntatem ejus. Dei opera nos decet mitari, non rimari. Nec obstant monstra & defectus naturales. Sunt hæc παρεκβάσεις naturæ, secundùm *Aristotelem.* 4. de generatione animalium, c. 4. Non deficiunt ab ordine causæ universalis, sed particularis. Vel secundùm *Thomam* deficiunt à fine ultimo, qui est perfectio generati, non à fine proximo, operatur enim natura, aliquid ad minus formando. *Ob. Sol.*

Et si aliquis loquatur de peccatis. Dicendum est, quòd peccata non sunt actiones, sed accidunt actionibus, quæ per se bonæ sunt, & à Deo. At inquiet aliquis], peccata fiunt Dei providentiâ. Verum est providentiâ Dei permittente, determinante, ad optimos fines dirigente, non verò efficiente. Confundantur, qui Deum malorum autorem arbitrantur: hoc votum est *Damasceni, lib.* 4. de Orthodoxa fide, c. 20. Et si

dicatur, quòd idem opus malum. & Deo, & peccanti tribuitur: ut venditio *Josephi*, vel crucifixio Christi. Respondendum, quòd hoc fit diverso respectu; peccanti tribuitur, quatenus est malum opus; sed Deo quatenus bonum est. Huc facit commune illud simile equitis equitantis equum claudum, claudicatio non est ab equite, sed ab equo ipso fratres *Josephi* ipsum vendiderunt ex malitia. Deus hoc permisit ex misericordia, ne interficeretur, propter suam gloriam & in maximum servi sui commodum. Judæi Christum crucifixerunt ex malevolentia, Deus pater hoc permisit, ex summa suâ erga homines benevolentiâ. Judas Christũ tradidit ex cupiditate, pater cœlestis ex charitate.

Errant, qui asserunt Deum inclinare & impellere voluntatem impiorum ad gravia peccata; in utero matris hominem cum perversitate ingenii, & peccandi necessitate condidisse; vel *Esavum* in hoc creâsse, ut impiè viveret, vel movere latronem, ad occidendum innocentem, & imparatum ad mortem. Certissimum hoc est, quòd iniquitatem Deus non approbat, nec efficit: providentiæ tamen ejus subjacent omnia, omnes creaturæ, rationales, vel irrationales, omnes eventus, boni vel mali. Præcipuam verò electorum suorum curam habet. Providentia ejus respectu illorũ est maximè specialis. Benè itaq; agamus, simus patientes in adversis,

adversis, grati in secundis, speremus in futurum. Deus etenim noster est omnipotens, bonus & verax.

Hucusq; de prima symboli parte, Sequitur secunda, quæ est de fide in Christum, his verbis: *Et in Jesum Christum, filium ejus unicum, Dominum nostrum, &c.* Secunda persona est Deus verus, non homo merus; aliter non esset objectum fidei. Appellatur Jesus, hebraicè יהושוע vel ישוע, hoc est, Salvator, quia salvat populum suum, *Matt.* 1. 21. Hoc nomen Jesus est mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. Alii hoc nomen habuerunt, *Iosua* dux, & *Iosua* Pontifex: Illi tamen hominum impositione, Jesus angelicâ denunciatione. Illi salvatores typicè & figurâ; Jesus autem verè, & suâ naturâ. Illi contulerunt bona corporalia, Jesus etiam spiritualia. Illi ministri, hic magister. Jesus salvator καθ' ἐξοχὴν, salvat solus, exclusis creaturis. Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo salventur: *Act.* 4. 12. Salvat à malo culpæ: salvat à malo pœnæ: Sublatâ causâ tollitur effectus: gaudeat itaq; unaquæq; fidelis anima, & dicat: O Jesu esto mihi Jesus.

Ieschuah. Jehoschuah.

Secundò Mediator noster vocatur χριστὸς, unctus à χρίω, ungo, Hebraicè verò dicitur משיח. Eodem sensu dicitur, quòd habuit nomen hebraicum, Jeschuah, quia futurus erat salvator Judæorum, & nomen græcum

Maschiach

Χριστὸς, quia Græcorum, & gentium reliquarum: Quia enim Græci à tempore *Alexandri* Magni gentibus ferè omnibus dominabantur, & linguam cum imperio propagabant, hinc Gentiles omnes vulgò Græci vocabantur, inquit S. *Augustinus*: Ut Prophetæ, Sacerdotes, Reges, oleo ungi solebant; ita & Christus unctus est, licet non ratione signi externè; & ceremonialiter; tamen ratione signati, internè & realiter. Unctus fuit, quia ad officium mediatorium ordinatus, & quia ad hoc officium obeundum donis ornatus. Donorum collatio erat quoad naturam humanam, ad officium ordinatio, quoad utramq; naturam. Unctus erat Christus in Prophetam & *Doctorem*, qui voluntatem patris patefaceret: in Pontificem & Sacerdotem, qui sacrificio corporis nos redimeret, & semper pro nobis intercederet: in regem, qui verbo & spiritu nos gubernaret. Officium nostrum hoc est: ut in odore unguentorum ejus curramus post illum. Trahe tu nos, Domine Jesu, & post te curremus.

Epist. 200.

A Christo nos Christiani, & hoc primùm Antiochiæ nominati fuimus: *Act.* 11. 26. De plenitudine ejus omnes accepimus, & fecit nos reges, & sacerdotes Deo patri. Reges sumus, ut contra peccatum, Satanam, mundũ, imò contra nosmetipsos pugnemus. —*fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit:*

vincit. Sacerdotes sumus, ut sacrificemus Deo sacrificium laudis, orationis, contritionis, eleemosynæ, justitiæ, ac deniq; in omnibus vitæ Christianæ.

Prophetæ sumus, ut Deum cognoscamus, & cognitum verè profiteamur: ut Christiani simus, non solùm ratione externæ professionis; sed etiam ratione internæ communionis, ut membra Ecclesiæ simus, non solùm apparentiâ, sed etiam reipsâ existentiâ: At nunc de reliquis mediatoris nostri titulis: proximè appellatur filius Dei.

Filius ejus erat secundùm divinam naturam, lumen de lumine, numen de numine. Et secundùm humanam naturam modo communi, respectu creationis, modo speciali, respectu conceptionis. Filius est unigenitus, non enim habet fratres secundùm generationem æternam, neq; secundùm conceptionem extraordinariam: electi tamen dicuntur Christi fratres, propter patris adoptionem, propter humanitatis similitudinem, propter fraternam charitatem, & propter aliqualem cum Christo cõformitatem.

Præterea Mediator noster vocatur Dominus. Dominus titulus erat Imperatorum, adeò sublimis, ut *Cæsar Augustus*, *Dione* & *Tertulliano* testibus, illum recusârit, quasi tanto nomine indignus. Videtur, quòd faciebat hoc divino instinctu, ut glorioſus ille titulus intactus maneret uni Dei filio, *Dio. c 55. Tert. Apol. c. 34.*

regi regum, & Domino Dominantium, non in orbem adventuro. Jam verò Turcæ vocant suum imperatorem, magnum Dominum, & Tartari, Persæ, aliiq; orientales, Sultanum, id est, Dominum.

Jesus est Dominus noster, jure creationis, quoniam in ipso condita sunt universa, *Col.* 1. 16. Jure redemptionis per sanguinem ejus, *Col.* 1. 14. Jure principalitatis, est enim caput omnis principatus & potestatis, *Col.* 2. 10.

Jure conservationis ad salutem, dat enim ovibus suis vitam æternam, *Joh.* 10. 28.

Jure paternæ constitutionis, quia pater omnia subjecit pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, *Eph.* 1. 22. fecit ipsum hæredem universorum, *Heb.* 1. 2.

Dominium itaq; hoc, non solùm ad nos extenditur, sed etiam ad omnes creaturas.

Cum itaq; Christus sit omnium nostrum Dominus, humiles esse debemus, & mites erga nos invicem; conservi enim sumus. Domini, quod justum est & æquum, servis præstate, scientes quòd & vos Dominum habetis in cœlo, inquit S. *Paulus* ad Colossenses, c. 4. v. 1. Et quia Christus est Dominus, illi soli adhæremus, aliter plurimos Dominos habebimus alienos, quibus inservire miserrimum erit. Verissimè dixit S. *Ambrosius*, O quot Dominos habet, qui unum non habet! tot Dominos habet, quot

peccata,

peccata, imò sanctè pater, tot Dominas habet, quot cupiditates, & certè, te judice, furiosa Domina libido est. Nos igitur soli Domino Jesu serviamus. Et si generosi simus Christiani, alterius Dominium non admittemus. Equus enim ut loquitur *Thom. Aquinas*, si generosus est, non alium, quàm proprium herum, admittit sessorem, & ad ejus solius nutum movetur.

Hactenus de titulis mediatoris: describitur ulteriùs, quoad gradus exinanitionis, & quoad gradus exaltationis.

Primò, Christus seipsum exinanivit. Verbum caro factum est. *Io. 1. 14.* filius Dei fit filius hominis, ut filius hominis fiat filius Dei. Iam est, qui erat, & quod est, non erat, inquit S. *Hilarius*. Mediator noster fit Deus & homo, ut Deum & homines se junctos iterùm conjungeret. *De Trinit. lib. 10.*

Et si dicatur, quòd caro Christi non potuit carni nostræ uniri, quia caro nostra peccatrix est. Respondendum, quòd ab accidente ad substantiam non valeat consequentia. *Ob. Sol.*

Si dicatur, quòd Deo nil potest accedere. Dicendum, quòd verum est quoad perfectionem, non quoad unionem. Quòd humana natura non potest ad Deum accedere, Verum est, nisi Deus assumat. Quòd ignominiosum est Deo esse creaturam. Ignominiosum est mutari in creaturam, non verò *Ob. Sol.*

uniri cum illa, sine mutatione essentiæ.

Sed licet in Christo sint duæ naturæ, una tantùm est persona. Licet Deus sit, & homo, non duo tamen, sed unus est Christus, ut S. *Athanasius* in symbolo suo profitetur. Humana Christi natura non constituit personam, quia non subsistit per se, sed sustentatur in & à λόγῳ.

Ob. Si objiciatur, quòd Deus & homo sint
Sol. duæ personæ. Respondendum, quòd verum est, si non uniantur.

Si dicatur, quòd mortuus & perpetuò vivens, non sunt idem. Verum est, quòd non sunt idem, secundùm idem: Christus autem sic fuit secundùm diversas naturas.

Si quæratur, quomodò incarnatio attribuatur filio? Sciendum, quòd incarnatio inchoativè est opus totius Trinitatis, terminativè verò solius filii. Ille naturam assumpsit, quam pater, in ipso, per spiritum sanctũ, ex Virgine formavit. Nexus substantialis etsi ab omnibus personis productus, formaliter tamen non connectebat naturam humanam cum aliâ, quàm cum persona filii: ut fusè *Suarez* & alii Theologi in 3. *part. D. Thomæ*. Atq; duarum naturarum unio facta fuit hypostaticè, sive personaliter, non physicè, ut forma unitur materiæ; nec spiritualiter, ut electi inter se, & cum Deo; nec per assistentiam, ut nauta navi; nec relativè, ut amicus amico; nec mysticè,

ut

ut in Sacramento; duæ naturæ unitæ fuerunt inconfusè, inconvertibiliter, indivulsè, inseparabiliter. Inconfusè, manentibus suis cuique naturæ proprietatibus; nonnunquam tamen personæ ab alterutra natura denominatæ, in concreto, per communicationem idiomatum tribuuntur proprietates alterius naturæ: ut Deus suo sanguine Ecclesiam acquisivit. *Act.* 20. 28. Dominus gloriæ crucifixus. 1 *Cor.* 2. 8. hoc est, secundùm naturam humanam. Filius hominis dicitur esse in cœlo, *Joh.* 1. 13. hoc est, secundùm naturam divinam. Locutio hæc debet esse in concreto, non in abstracto. non sequitur, Deus est passus, ergò Deitas est passa.

Secundò, naturæ unitæ fuerunt inconvertibiliter, sine mutatione divinæ in humanam, aut humanæ in divinam.

Tertiò, indivulsè, sine divisione naturarum, tametsi non sine distinctione: non sunt duo Christi, sed unus.

Quartò, inseparabiliter: perpetuò manet hæc unio. In morte Christi anima separabatur a corpore, sed divina natura suo modo utrique mansit unita, soluta fuit unio naturalis, non personalis.

Hæc de incarnatione in genere. Sequuntur partes ejus, conceptio Christi, & nativitas.

Conceptus fuit ex Spiritu Sancto: non ex Spiritûs sancti essentiâ, sed ex efficientiâ,

Ex,

Ex, non denotat materiam, quasi Christus esset ex Spiritûs Sancti substantia, fuit enim ex patribus secundum carnem. *Rom.* 9. 5.

Deus etiam immutabilis, & λόγος carnem assumpsit, non est in illam mutatus: sed *Ex* causam efficientem significat, quia virtute & potentiâ Spiritûs Sancti Christus conceptus est.

Conceptio de Spiritu Sancto dicit miraculosam carnis Christi formationem, absq; complexu viri: Deinde, ejusdem a peccato originis sanctificationem, & cum λόγῳ hypostaticam unionem.

Statuitur corpus Christi simul & semel perfectum fuisse, non successivè, ut aliorum hominum corpora quadraginta dierum spatio; aliter non conceptus fuisset Christus homo, sed embrio. anima etiam rationalis fuit inspirata. Malè dixit *Apollinaris* animam Christi fuisse ejus divinitatem. Anima ejus tristis fuit, quod non competit divinitati, anima ejus in morte discessit à corpore; divinitas verò non recessit.

Conceptus fuit pro nobis, ecce amorem! quo conceptu nos hunc exprimemus?

Conceptus fuit à Spiritu Sancto, ecce prudentiam! ut à peccato foret immunis. lugeamus nos propter impuram nostram conceptionem. Dicat unusquisque cum *Davide*; Ecce in iniquitatibus conceptus sum. *Psal.* 51. 5. pura ejus conceptio impuritatem

tem nostram tegèt, si posthac puritati studeamus.

Sic fuit conceptio, succedit nativitas.

Christus natus fuit, ut veritas humanæ naturæ significetur. Natus ex *Maria*, ut cum ei patribus esse, puta, *Davide* & *Abrahamo*, ex quibus fuit *Maria*, designetur. Natus ex *Maria* virgine, ne labe originali coinquinaretur, & ut Scriptura impleretur: sic prædixit *Esaiæ*, *cap.* 7. *vers.* 14. Ecce, virgo concipiet, & pariet filium.

Nec de hac re tacuerunt Sybillæ, si modò vera sint quæ de illis scribuntur. Sit sanè *Boëtius* de disciplina Scholastica mirum quid refert, scilicet in tumba *Platonis* repertam fuisse laminam auream, in qua scriptum fuit, Credo in filium Dei nascaturum de virgine. Et tale quid de quodam refert *Nicephorus*, quòd tempore *Constantini* ejusque matris *Irenes* loculus lapideus subter terram inventus fuerit cum hac inscriptione, Messias nascetur ex Virgine, & ego credo in eum.

Ex his omnibus emergit fidei confirmatio, & firma consolatio, quòd salvator natus sit, & nobis natus. *Isai.* 9. 6. cum dives esset, propter nos factus egenus. Nostri causâ fuit opprobrium hominis, & abjectio plebis, humilis fuit, quia nollet nos esse superbos, ex paupercula natus fuit, ut ostenderet, quòd divitiis & honore gloriandum

non sit, atque ut nos infimâ conditione contentos esse doceret. Peperit virgo filium suum, & pannis involvit, exceptum priùs virgineis ulnis, in quas Angeli recens natum deposuerant, ut conjicit *Suarez.* Pastor Israelis pastor bonus pastoribus fuit manifestatus. Angelus evangelizavit gaudium magnum, quod esset omni populo, quia natus erat salvator, Christus Dominus, in civitate *David*, & subitò cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudabant Deum. Jesus panis vitæ natus erat in Bethlehem domo panis. Natus fuit in stabulo, ut nos splendida palatia, non tantopere curaremus, & posteà loco hujus stabuli constructa fuit à sancta *Helena* splendidissima Ecclesia in honorem virginis Deiparæ.

Beda de locis sanctis & alii.

Quod attinet ad modum partûs, fuit certè mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis. De hac re S. *Augustinus* egregiè admodùm differit, sic inquiens: dicat mihi Judæus incredulus, quemadmodum virga arida, (scilicet *Aaronis*) fronduit & floruit, & nuces protulit, & ego dicam illi, quomodo virgo concepit & peperit. Sed profectò nec Judæus virgæ poterit explicare conceptum, nec ego virginis partum. Divina mysteria non intellectu discutienda, sed fide veneranda, inquit S. *Gregorius*. Credo itaq; ego, quòd sat nobis est simpliciter credere, quòd Christus natus sit ex *Maria* virgine.

Et

Et sanè piè tenendum est, quòd alma redemptoris mater virgo semper mansit.

Virgo fuit partum post, in, & ante suum. Quod fusè admodum ostendit *S. Hieronymus* contra *Helvidium*. Et locus ille, *Mat.* 1. 25. Non cognoscebat eam, scilicet *Joseph*, donec peperit filium suum primogenitum, designat quòd non cognovit eam omnino. Simile habetur. 2 *Sam.* 6. versu ultimo, ubi dicitur *Michol* filiam *Saulis* non habuisse filium, donec moreretur, hoc est, nunquam habuisse. *Ob.* *Sol.*

At quomodò Christus dicitur primogenitus, si non habuerit fratres. Respondendum, quod Christus sic dicitur, non quòd post eum filius alius, Sed quod ante illum filius nullus.

Et ubi in Scripturis sermo habetur de Christi fratribus, ibi intelliguntur ejus consobrini & cognati: sic *Abraham* dixit ad *Lot*, nos fratres sumus, *Gen.* 13. 8.

Hactenus de Christi nativitate, sequitur passio. *Passus est sub Pontio Pilato.* Tota Jesu vita passio fuit, passus est in circũcisione, in fuga ad Ægyptum, in jejunio quadraginta dierum, atque in Diaboli tentatione, passus est carentiam summæ felicitatis, passus est omnis generis mala, omnes humanas infirmitates; excepto peccato: passus est inopiam, injuriam, & sensum iræ Divinæ, licet sine desperatione; ac denique ipsam

mortem

mortem passus est secundùm naturam humanam, tam animâ, quàm corpore. Docere Christum dolorem in carne, & in anima tristitiam veram, passionis tempore non sensisse, a veritate alienum est, & hæreticum; ac si dicatur ipsum, non hominem verum, sed ejus tantùm similitudinem, assumpsisse. Sic recte Magister 3. Sent. distinct. 14 Divina natura quiescebat, ut humana posset pati, sed sustinebat eum in doloribus, ut posset vincere. Causa movens Deum, ut filium passioni subjiceret, erat vel interna, vel externa. Interna, amor beneplaciti. Externa triplex: peccati miseria, unde misericordia; peccatum, unde justitia; & diaboli tyrannis, unde vindicta. finis, & fructus passionis Christi idem sunt diversâ ratione; respectu Christi fines, respectu nostri, fructus: suntq; duo, gloria divina, & salus nostra.

Judex sub quo Christus passus est, fuit *Pontius Pilatus*, totius Judææ pro *Tiberio* Imperatore gubernator: ut constaret Jesum verum fuisse Messiam, qui non venturus erat donec Sceptrum à *Juda* penitùs ablatum foret, *Gen.* 49. 10. quod jam evenit Judææ à Romanis devictâ. Deinde, dicitur passus sub *Pilato*, ut veritas dicti Christi de seipso gentibus tradendo, manifesta fieret. *Mat.* 20. 19. Præterea, quia passiones ejus sub *Pilato* gravissimæ fuerunt. *Pilatus* Christum ἰμασίγωσε, id est, loris cæcidit, non propriis,

proptiis, sed lictorum manibus, inquit S. *Hieronymus*. Mox toto corpore flagellis conscissum, spinis coronatum, purpureo paludamento, & arundineo sceptro ornatum, novo ludibrio, quasi personatum in theatro, miseriæ regem populo spectandum exhibet *Pilatus*, & dicit, Ecce homo. His verbis voluisset Iudæos ad misericordiam movere. Illi verò, ô durum hominum genus! immisericorditer Christum tractârunt. *Barrabam* insignem flagitiis à supplicio liberandum delegerunt, innocentissimum Iesum ad pœnas deposcunt. Potuisset *Pilatus* ipsis refragari, sed noluit: reluctante conscientiâ Iesum in manus inimicorum tradidit. Quinetiam uxor *Pilati*, quam *Lucius Dexter Claudiam Procnidam* vocat apud maritum instat, ut nihil acerbius in Christum statuat: sed acriùs pungebant illum minæ Iudæorum, quàm uxoris consilium. Fortasse somniavit uxor *Pilatum* plagis prosecutum iri, quod posteà contigit, illo, in *Viennam Galliæ* exulatum, misso: ut *Iosephus*, *Ado*, & alii describunt, & legimus posteà ex desperatione sibi ipsi manus intulisse. *In Chron. 10. An Chr. 34.*

Deinde, Christus passus est sub *Pilato*, judice ordinario, ut nos a severo Dei judicio absolveret. Denique, ut innocentia ejus demonstraretur: *Pilatus* enim illi testimonium perhibuit, quòd nullam in eo invenit mortis causam, *Jo.* 18. 38. Ideò examinari illum

illum voluit Deus, & sic à consequenti perspicuum fuit, Christum non pro suis, sed pro nostris peccatis ad mortem traditum fuisse.

Ob: Contra hanc Christi sub *Pilato* passionem objicietur, quòd ille erat occisus ab origine mundi. *Apoc.* 13. 8. quomodo ergo sub *Pilato?*

Sol: Dicendum, quòd Christus occisus erat ab origine mundi, destinatione, electione, virtute, efficaciâ, acceptatione, sed non executione. Occisus fuit ab initio in mente divina, passione idæali, sub *Pilato* verò passione reali.

Ob: Sed absolvi à reatu videtur *Pilatus*, quia nil fecit, nisi quod Deus decrevit fieri. *Act.* 4. 28.

Sol: Dicendum, quòd Deus non prædestinavit odium Iudæorum erga Christum: sed præcognoscens illud, constituit eo bene uti, & ex præcognitione mali consilium de genere humano per mortem Christi redimendo ordinavit. Actio displicuit, passio grata fuit.

Facinus Iudæorum & *Pilati* displicuit extremè Deo, sed Christi passio, & inde resultatura hominum redemptio, admodum grata fuit, & ab æterno decreta, & prædefinita. Ita S. *Prosper*, atque alii Doctores. Ex quibus patet, quomodo scelerati consilium Dei exequantur, etsi nil tale cogitantes, nec tamen à culpâ eximantur.

Prosp. ad objecta Gallorum, resp. 13.

Dicit

Dicet aliquis, quòd oportuit Christum pati; videtur itaque, quòd *Pilatus*, & Judæi non peccârunt. Oportuit sanè ex hypothesi, necessitate ex voluntario moriendi decreto derivatâ: Jesus enim passus est, quia voluit, aliter potuisset hostiles manus effugere. *Ob.* *Sol.*

Audivistis, quòd Christus passus est, & sub quo. Sequitur in Symbolo, quòd Crucifixus fuit. Dixerunt Iudæi, tam populus, quàm princeps crucifigatur, *Matt.* 27. 23.

Præ omni supplicio urgent crucem, in qua summa erat pœnæ atrocitas, diuturnitas, ignominia, vivus exponebatur omnium inspectioni & ludibrio: & maledictus erat qui penderet in ligno. *Deu.* 21. 23. Omne suspendii genus, non solùm apud Iudæos, sed etiam apud Romanos, extremę erat infamię. testis est *Seneca* Epist. 101. & *Livius, lib.* 14. Atque hæc ratio fuisse videtur, quòd qui suspenditur in altum, quodammodò judicetur indignus, qui terram pedibus premat: atque ideò à terra eliminatur. Quare Christus ut se abjiceret, vilissimum hoc mortis genus subivit, & maledictionem pro nobis in se suscepit, testante Apostolo ad Galatas. c. 3. 13. *Seneca ep.* 101. *Livius lib.* 14.

Cur verò Deus præ aliis suppliciis, voluerit filium suum crucifigi, in causa fuit, inquit *Tertullianus*, ut qui per lignum vicerat, scilicet diabolus, æmulâ operatione, per lignum quoque vinceretur. Secundo, ut per-

pessione crudelissimi supplicii copiosam nobis pararet redemptionem, justitiæ divinæ largissimè satisfaciendo. sic alii, atque hinc summa provenit nobis consolatio. Tertiò, ut figuris & Prophetarum oraculis, quibus id præsignificatum fuerat, fieret serpens æneus in deserto exaltatus. *Num.* 21. *Joh.* 3. & sacrificia quæ in altum levabantur, *Lev.* 7. erant Christi crucifigendi typi. Et sicut *Isaac* tulit ligna, quibus impositus fuit, *Gen.* 22. sic & Christus lignum crucis. Una pars montis Moriæ erat extra *Hierosolymam*, in quo tam *Isaac*, quàm Christum immolatũ fuisse, docet S. *Hieronymus* ex traditione Iudęorum. Hæc pars dicta fuit postea mons Calvariæ: à craniis damnatorum, qui illic morte plectebantur. Præterea eò quod *Adami* cranium, ut quidam censent, ibi inventum sit, quem sub cruce sepultum fuisse, *Tertullianus*, & multi ex antiquis opinabantur, aliquibus etiam asserentibus, sanguinem Christi in cruce suspensi in Calvariam *Adæ* defluxisse, ut ostenderetur, ipsum & posteros ejus in Christum credentes per Christi sanguinem salvandos fore: atq; hoc credebatur a piis, ut affirmat S. *Cyprianus* sermone de resurrectione. Sanè piè satis, non novi, quàm verè. In genere, à pretiosissimo Christi sanguine virtutem ad salutem efficacissimam derivari constat. Nos interea peccata, pro quibus Christus clavis

Ita S. August. lib. 16. de Civit. Dei, c. 32.

erat

erat confossus, defleamus: atque ut Israelitæ æneum serpentem, sic nos fidei oculis intueamur Jesum, & sanabimur: pro viribus nostris crucifigamur mundo: hac de causâ totus nobis figatur in corde, qui totus pro nobis figebatur in cruce.

Audivistis crucifixionem, audite mortem. Agnus Dei expiravit in cruce, eodē tempore, quo agnus vespertinus, seu juge sacrificiū offerebatur in templo: nempè horâ nonâ apud Iudæos, quæ tertiæ nostrę pomeridianæ respondet. Mors Christi erat voluntaria, nemo sustulit animam ejus ab ipso, sed ille posuit eam à seipso, *Io.* 10. 18. quod certè liquet ex clamore ipsius valido in cruce cum cæteri moribundi loquelam amittant, & in gutture tantùm sibilent. Non sine ratione admirabundus Centurio dixit: hic est filius Dei. *Matt.* 27. 54. Idem arguit inclinatio capitis, cùm alii homines prius expirent, quàm caput inclinent. Et quia mors Christi erat voluntaria, ideò meritoria; aliter inobedientiam nostram non luisset. Secundò, erat mors innocens, quod comprobat tota historia, & hostium confessio. Tertiò, erat mors pretiosa, dignitas ejus ex dignitate personæ, & sic æquipollens morti æternæ.

Oportuit Christū mori propter Dei justitiā. Peccatū læsio summi boni, ideò expiandum summo supplicio: sponsori igitur nostro mors fuit degustanda, propter Dei ve-

ritatem, qui dixerat de fructu arboris vetitæ, quo die de ea comederis, morte morieris: *Gen.* 2. 17.

Oportuit Christum mori propter vaticiniorum adimpletionem, & propter ipsius Christi de morte sua prædictionē: *Io.* 12. 33.

Propter Testamenti gratiæ confirmationem, quod morte filii Dei perficiendum erat: *Heb.* 9. 16.

Ex morte Christi, tanquam ex fonte fluit redemptio nostra, hinc primariò est justificatio: *Rom.* 8. 34. hinc regeneratio, sive restauratio naturæ corruptæ, vetus noster homo vi mortis Christi interimitur, & sanctificatio impetratur: mors Christi labefactat peccatum originale Christiani, & licet mors Christi sit prætetita, adhuc tamen mortificat peccata nostra: quia virtus illius perpetuò durat. Si modò veram hanc panaceam cœlestis archiatri pectoribus nostris applicemus. Nos itaq; cum Apostolo tripudiemus, & dicamus: ubi est, O mors, stimulus tuus, 1 *Cor.* 15. 55.

Mors mortis morti mortem, mors, morte redemit. Suscepit Iesus mortis servitutem, ut nobis tribueret vitæ æternæ libertatem. Ad ipsum pervenit vera mors, ut ad nos perveniret vera vita, inquit S. *Ambrosius*.

Ob. Sol. At si Christus pro nobis mortuus sit, cur & nobis moriendum? Respondetur, quod hoc nihil obstat. Mors enim nostra non est pro

pro peccatis satisfactio, sed de peccatorum reliquiis nobis inhærentibus admonitio: ab iisdem repurgatio, & in vitam æternam traductio. Sanctitas redemptionis nostræ est finis, ne voluptatibus indulgeamus. Pro peccatis dulcissimus Iesus mori dignatus est, & amoris hujus ineffabilis gratiâ, nos mori potiùs quàm in peccatum ruere eligamus. At, pro dolor! piissime Iesu, quàm pauci mortales pro doloribus mortis tuæ ita dolore afficiuntur, ut vitæ Sanctimoniam & pietatem colant?

Christus pro fratribus, imo pro inimicis animam deposuit: sic & nos etiam alios, si res ita postulaverit, diligamus, quod urget sanctissimus Apostolus *Ioannes*, 1 *epist. cap.* 3. *v.* 16. Dilectio hæc exoptari, at à nimis duro hominum genere, vix expectari potest. Denique mors fidelibus nil nisi larva; fideles igitur simus usque ad mortem, & ne mori timeamus.

Hucusq; de morte Christi, sequitur sepultura. Mortuorum corpora decenter sepelienda. Inhumani æstimati sunt, qui hoc neglexerunt. Inter hos fuerunt Lothophagi, qui corpora amicorum in mare jactabant. Sabæi, qui regum cadavera, inter sterquilinia projiciebant. Scythæ, qui honoris gratiâ cadavera eorum quos diligebant, inter epulas devorabant. Hircani, qui canibus, aut feris ea objiciebant. Hi omnes execrabiles. *Historici & Geographici passim.*

At mors Christi, licet ignominiosa, sepultura tamen fuit valdè honorifica. Viri primarii eum sepelierunt. *Nicodemus* magnus Juris-peritus, *Josephus*, civis *Hierosolymitanus*. Qui discipuli prius erant operti, jam verò, ô magnam passionis virtutem, aperti. Huic etiam operi plures fœminæ religiosæ & nobiles cooperatæ sunt. Patet etiam honor sepulturæ ex aliis circumstantiis: abundantiâ aromatum corpus conditum. Et Syndone pretiosâ involutum fuit. Christus sepultus erat in sepulchro novo, excisо ex petra, ne si alius ibi sepultus fuisset, alius resurrexisse diceretur: ut notant Patres. In sepulchro novo voluit sepeliri novus homo; & in horto, ut corpus ibi seminaretur, & resurrectionis fructum ferret. In horto, ut peccatum *Adami* commissum in horto expiaretur. Ut nativitas ejus fuit ex intacto Virginis thalamo, ita sepultura à nullo corpore mortuo contaminari debuit. In sepulchro alieno voluit sepeliri, ut sicut in alieno domicilio natus, ita in alieno mortuus jaceret. Et noluit propriam habere sepulturam, qui non habuit propriam mortis causam. Sepulchrum Christi erat locus summæ devotionis. S. *Hieronymus* loquens de *Paula* dicit, Ingressa sepulchrum Domini osculabatur lapidem, & ipsum corporis locum, in quo Christus jacuerat. Celeberrima autem fuit ex toto orbe ad sepulchrum

glorio-

glorioſum hoc peregrinatio. Turca hoſtis infeſtiſſimus magnum ex viſitatione loci lucrum colligit, atq; hujus rei causâ, vel metu pœnæ, nondum illud evertit. Non credo nobis neceſſarium eſſe tam longam pertranſire viam, poſſumus de hac re domi tutiùs meditari. Et licet ſolennis Lovanii, in memoriam Chriſti ſepulturæ, inſtituatur proceſſio, ubi Beata Virgo & aliæ mulieres cum dolore comitantes funus repræſentari ſolent, non dubitamus tamen quin pia mens poſſit hoc ſine tali pompa peragere.

Sepultus fuit Chriſtus, ut implerentur veteris Teſtamenti typi; nimirùm Jonæ, & aliorum. Sicut *Jonas* fuit in ventre ceti, tribus diebus, & tribus noctibus: ſic de ſe prædixit Chriſtus, *Mat.* 12. 40. Præterea ſepultus fuit, ut conſtaret ipſum verè fuiſſe mortuum: atq; ut nos ſciremus ſepulchra noſtra, per ſepulturam Chriſti fuiſſe ſanctificata, non ampliùs eſſe loca horrida, ſed placida, in quibus requieſcamus, quoad reſuſcitemur, cubicula atq; hinc ſepulchreta vocantur κοιμητήρια.

Nos verò Chriſto per baptiſmum in mortem ejus conſepulti, in novitate vitæ ambulare debemus, ſecundum Apoſtolum ad Romanos. c. 6. v. 4. alludit ad ritum baptiſmi per immerſionem, corpus enim ejus, qui hoc modo baptizabatur, aquis quodammodò ſepelitur. Atq; ter aquis im-

mergi solebant baptizati, allegoricâ similitudine repræsentantes Christum mortuum, & triduò immersum in sepulchrum. Tropologicè autem designabatur, quòd sicut Christus morte corporali mortuus est huic mundo, ita & nos morte spirituali moriamur eidem mundo, ejusq; domino & regi, peccato, inquit S. *Chrysostomus*. atque hoc proposito sanctæ vitæ deinceps instituendæ, ut *Tertullianus* exponit, ne itaq; regnet peccatum in corpore nostro mortali, ut obediamus concupiscentiis ejus. Ne simus somno vinoq; sepulti, sed reputemus, quòd mortui sumus peccato, & vivamus Deo per Dominum nostrum Iesum Christum.

Mors Christi explicata est, nunc ad descensum Christi ad inferos descendamus.

Infernus in scripturis accipitur multipliciter: propriè, pro loco damnatorum, Metaphoricè, pro summis doloribus, & angustiis infernalibus: Deinde pro sepulchro, & aliquando pro extrema ignominia. Hinc sententiarum de sensu hujus articuli divortia. Alii de sepultura interpretantur, at sic idem articulus esset bis positus, vel per obscuriorem declaratus, quod in tam perspicuo compendio factum verisimile non est. Non obstat, quòd articulus hic in symbolo Nicæno omissus; factum fortè fuit, quia in deceptationem nunquam venerat. Et *Eusebius*, qui Concilio interfuit, eundem tradit,

atq;

atq; S. *Athanasius* in Symbolo suo ab Ecclesia recepto, licet illa sepulturam omittit. Alii de cruciatibus infernalibus exponunt. Si intelligant, quòd Christus cruciatus infernalibus æquales ante mortem sensit, hæc satis pia opinio, si, quòd post mortem pœnas inferni realiter senserit, impia: antehac enim consummata fuerunt omnia. Si autem dicatur cum *Durando*, Christum descendisse ad inferos virtualiter, seu effectivè, hoc est, respectu fidelium inferos destruxisse: vel si dicatur cum aliis Christum ad extremum exinanitionis gradum descendisse: hæ sanè sententiæ nil falsi continent. At quidam descensum hunc ad animam Christi referunt. Sententiam hanc, quæ habetur in Catechismo *Noelli*, Ecclesia nostra videtur approbare: hoc sensu dicitur Christus descendisse ad inferos, ut se victorem diaboli, omniumq; hostium infernalium demonstraret, ut diabolis terrorem incuteret, & de iisdem potentissimè triumpharet. Multa de hac re multi. Sed articulum hunc non argutè & scrupulosè tractandum esse judico. Confessio nostra Anglicana sic statuit in articulo tertio. Quemadmodum Christus pro nobis mortuus est & sepultus, ita est etiam credendus ad inferos descendisse. Nihil hîc de modo descensûs determinatur. Otiosa ingenia curiosis speculationibus hoc investigent, atq; hîc quod agant, ni fallor, invenient

nient. Sufficiat nobis credere, Christum ad inferos descendisse, atq; omnia ad salutem nostram necessaria perfeciſse: at quomodò hoc posthac meliùs cognoscetur.

Non convenit adhuc inter Pontificios, qui inferni partes accuratè admodùm describere ausi sunt, an Christus tantùm in lymbum patrum descenderit: vel, an etiam in Purgatorium: Si ad Purgatorium, an aliquos ex speciali gratiâ liberaverit, ut conjicit *Thomas*. Vel an omnes liberaverit: ut *Bonaventura*, & *Gabriel*. Vel, an etiam in locum damnatorum descenderit: sicut asserit *Bellarminus*. Fingunt illum descendisse, ut patres ex lymbo educeret: nostri verò dicunt, lymbum istum esse scripturæ planè incognitum, quòd animæ piorum erant in manu Dei, non in inferno; quòd patres vi meriti Christi, agni ab origine mundi mactati, redempti fuerunt, & non demum tali Christi descensu liberati.

Ob. Nec obstat', quòd Christus spiritibus in carcere prædicavit, 1. *Pet.* 3. 19. Locus ille sic explicatur: Christus per spiritum, hoc

Sol. est, divinitate suâ, profectus, hoc est, ab initio à patre missus ad Ecclesiam, prædicavit, non per se, sed per *Noachum*, Spiritibus in carcere, hoc est hominibus, quorum animæ nunc sunt in inferno, olim immorigeris, hoc est, ante diluvium, quum adhuc vive-

Ob. bant. Sed objicietur ex eodem Apostolo, quòd

quòd mortuis prædicatum fuit Evangelium, 1. *Pet.* 4. 6. Hîc latet fallacia figuræ dictionis: Evangelium prædicatum est mortuis, id est, iis, qui mortui erant, cum *Petrus* hæc scriberet: sed prædicabatur iis, cum adhuc viverent. Alii cum S. *Augustino*, de Gentibus spiritualiter ante conversionem mortuis, versiculum hunc interpretantur. *Sol.*

Multa fateor ex patribus contra Protestantes afferuntur loca: nulla tamen est consequentia, aliqui patres hoc dicunt, ergò verum est.

Sciendum etiam est, patres Rhetoricè de efficacia descensûs Christi ad inferos multa pronuntiâsse, & verbis triumphalibus amplificâsse: sæpè nimirùm illi Oratores Ecclesiasticos agunt, ideoq; lumina adhibent Rhetorica: non tantùm magistraliter docendi, sed etiam movendi causâ. Contendant alii de hac re: tu verò, anima Christiana, fiduciam hanc habeas, satis tibi esse fiduciam habere, quòd Christi descensus, tuus est ascensus in altum.

Et sic à gradibus exinanitionis, atq; à statu Christi intermedio quo nondum se vivum hominibus exhibuit, ad maximè perspicuos exaltationis Christi gradus transeamus: inter quos primò occurrit à mortuis resurrectio. Tertiâ die resurrexit à mortuis.

Dicitur Christus resurrexisse tertio die, non integrè impleto, sed inchoato: Item ob

typum

typum *Ionæ. Mat.* 12. 40. Videtur tamen, quòd Christus non fuit tribus noctibus in sepulchro, ne quidem per partes, sed solâ nocte sabbati & Dominicæ. Notandum dies & noctes computari à mediâ nocte in aliam. Christus fuit in sepulchro parte diei, & noctis veneris, nocte etiam, & die Sabbati: deniq; parte noctis Dominicæ: & parte diei, sive diluculi, quo resurrexit. Et sic Romani Judæis imperantes, dies & noctes computabant.

Christus resurrexit tertio die: non citiùs, ut constaret eum, esse verè mortuum: non tardiùs, quia noluit discipulos, & alios diutiùs à solatio detinere.

Resurrexit, ut per resurrectionem à mortuis se filium Dei potenter declararet. Effectum hoc merè divinum se propriâ virtute vivificare, & potestatem hanc habuit filius Dei.

Ob. Sol. Nil obstat, quòd pater dicitur filium exuscitâsse. *Eph.* 1. 20. Hoc fit propter summam essentiæ unitatem: quæcunq; pater facit, eadem & filius simpliciter facit.

Resurrexit, ut pro peccatis nostris se satisfeciisse, veramq; justitiam nobis acquisiviisse, demonstraret. Nisi resurrexisset, adhuc essemus in peccato, omnis fides nostra esset inanis, 1. *Cor.* 15. 17. Resurrexit propter suam & patris gloriam, propter personæ dignitatem, & potentiam. Propter officium

cium, debuit in æternum regnare, & pro nobis semper intercedere. Resurrexit propter nostram salutem, propter justificationem, propter regenerationem, propter nostram suscitationem, & glorificationem. Ut corpora nostra novissimo die resuscitaret; resurgente capite, resurgent membra: sicut *Adam* sibi suisq; mortem conciliavit, sic Christus vitam; facit dominus fideles gloriæ suæ cohæredes, nos itaq; ad vitam gratiæ resurgamus: atq; in illa gratiæ vita perseveremus.

Objicitur, quòd beneficia hæc à morte Christi profluunt. Respondetur, quòd per mortem Christus ea est meritus: per resurrectionem verò declarantur, & applicantur. Dicetur, beneficia hæc data fuisse veteris Testamenti fidelibus. Respondendum, hoc factum fuisse respectu resurrectionis futuræ. *Ob.* *Sol.*

Sed dicetur, Impii quoq; resurgent. Resurgent sanè, sed ad judicium condemnationis, non absolutionis. Atq; hæc pauca è multis de Christi resurrectione, altiùs jam ascendamus, & ascensio succedat.

Iesus, ut sol meridiano tempore cœli culmen conscendit. Ascendit ex monte Olivarum ad Bethaniam, & non solùm in cœlum aërium, & stelliferum: sed & in cœlum Empyræum, in sedem beatorum. Ascendit secundùm naturam humanam. At *Iohan.* 3. v. 13.

typum *Ionæ*, *Mat.* 12. 40. Videtur tamen, quòd Christus non fuit tribus noctibus in sepulchro, ne quidem per partes, sed solâ nocte sabbati & Dominicæ. Notandum dies & noctes computari à mediâ nocte in aliam. Christus fuit in sepulchro parte diei, & noctis veneris, nocte etiam, & die Sabbati: deniq; parte noctis Dominicæ: & parte diei, sive diluculi, quo resurrexit. Et sic Romani Judæis imperantes, dies & noctes computabant.

Christus resurrexit tertio die: non citiùs, ut constaret eum, esse verè mortuum: non tardiùs, quia noluit discipulos, & alios diutiùs à solatio detinere.

Resurrexit, ut per resurrectionem à mortuis se filium Dei potenter declararet. Effectum hoc merè divinum se propriâ virtute vivificare, & potestatem hanc habuit filius Dei.

Ob. Sol. Nil obstat, quòd pater dicitur filium exuscitâsse. *Eph.* 1. 20. Hoc fit propter summam essentiæ unitatem: quæcunq; pater facit, eadem & filius simpliciter facit.

Resurrexit, ut pro peccatis nostris se satisfeciisse, veramq; justitiam nobis acquisivisse, demonstraret. Nisi resurrexisset, adhuc essemus in peccato, omnis fides nostra esset inanis, 1. *Cor.* 15. 17. Resurrexit propter suam & patris gloriam, propter personæ dignitatem, & potentiam. Propter officium

cium, debuit in æternum regnare, & pro nobis semper intercedere. Resurrexit propter nostram salutem, propter justificationem, propter regenerationem, propter nostram suscitationem, & glorificationem. Ut corpora nostra novissimo die resuscitaret; resurgente capite, resurgent membra: sicut *Adam* sibi suisq; mortem conciliavit, sic Christus vitam; facit dominus fideles gloriæ suæ cohæredes, nos itaq; ad vitam gratiæ resurgamus: atq; in illa gratiæ vita perseveremus.

Objicitur, quòd beneficia hæc à morte Christi profluunt. Respondetur, quòd per mortem Christus ea est meritus: per resurrectionem verò declarantur, & applicantur. Dicetur, beneficia hæc data fuisse veteris Testamenti fidelibus. Respondendum, hoc factum fuisse respectu resurrectionis futuræ. *Ob.* *Sol.*

Sed dicetur, Impii quoq; resurgent. Resurgent sanè, sed ad judicium condemnationis, non absolutionis. Atq; hæc pauca è multis de Christi resurrectione, altiùs jam ascendamus, & ascensio succedat.

Iesus, ut sol meridiano tempore cœli culmen conscendit. Ascendit ex monte Olivarum ad Bethaniam, & non solùm in cœlum aërium, & stelliferum: sed & in cœlum Empyræum, in sedem beatorum. Ascendit secundùm naturam humanam. At *Iohan.* 3.

Ob. *v.*13. habetur, quòd filius hominis jam erat
Sol. in cœlo. Hoc vero dicitur per communicationem idiomatum. Ibi tunc fuit secundum divinitatem.

Ob. Sed qui descendit, ipse etiam ascendit, inquit Apostolus, ad *Eph.*4.10. Non descendit, ut homo, videtur itaque, quòd neq; a-
Sol. scendit, ut homo. Attamen hîc mutatur genus prædicationis, divinitas descendit, id est, patefecit se in loco, ubi priùs se non sic patefecerat. Et sicut Jesus se in natura humana patefecit, sic & ascendit.

Ascendit quadragesimo à resurrectione die, hoc spatio de regno suo discipulos erudire voluit. Ascendit visibiliter, & localiter: ascendit in cœlum.

Ob. Sed S. *Paulus* dicit ipsum ascendisse supra omnes cœlos. *Eph.*4.10. Hoc est, in-
Sol. quiunt aliqui, supra omnes cœlos stelliferos, alii statuunt hoc non denotare loci sublimitatem, sed divinæ Majestatis celsitudinem, quoniam omnia sibi subjecta habet. Quidam volunt Christum versari in spatio inani supra cœlum, & solis pedibus convexæ superficiei cœli summi insistere: ubi sancti infra pedes ejus degunt. Sed huc non cogunt nos verba Apostoli. Supra omnes cœlos ascendisse dici potest, cum ad supremum cœlum, & dignissimum in eo locum ascendit: sicut super arborem, vel turrim ascendisse dicimus, non solùm cum, qui ver-

ticem

ticem transcendit, sed eum etiam, qui altiores ramos, vel gradus conscendit, etsi infra verticem hæreat.

Objicietur autem, quòd Christus promisit se nobiscum futurum, usq; ad finem mundi. Sed intelligendum hoc est, de Christi deitate, de gratia, & potentia ejus spiritualiter, non de humanitate, & corporaliter. Ascendit Christus, primò, ut pro nobis intercederet: & licet intercessio Christi fuit ante ascensionem; ab hac tamen intercessione glorioſa dependebat. Fiebat priùs valore sacrificii præstandi, nunc præstiti. Secundò, ascendit Iesus, tanquam aquila, ut nos, licet vermiculi, cum illo ascendere possemus. Adamus clauserat, Christus reclusit cœlum. Et quamvis *Enoch* & *Elias* ascenderunt ante Christum, non tamen sine virtute Christi. Ille verò virtute propriâ. Tertiò, Christus ascendit, ut daret Spiritum sanctum: & licet priùs dabatur, tamen respectu ascensionis; & post illam copiosiùs.

Ob.

Sol.

Hucusque de Christi ascensione, sequitur ejusdem ad dextram Dei patris sessio.

Dextra tribuitur Deo per ἀνθρωποπάθειαν, & significat summam potentiam, & gloriam. Sedere ad dextram, phrasis desumpta est à consuetudine regum, qui quos honorant, negotiisve regni præficiunt, ad dextram collocant, suosque faciunt assessores. Sic Christus dicitur sedisse ad dextram Dei

Patris,

patris, quia pater eum post opus redemptionis nostræ in terra peractum summâ gloriâ supra omnes angelos & homines in cœlo coronavit, eumq; Ecclesiæ caput & regem declaravit, per quem immediatè omnia in cœlo & terrâ gubernare, quemq; ab omnibus creaturis adorari velit, dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, inquit Propheta, *Ps.* 110.

Est igitur sessio ad dextram Dei singularis ac propria dignitas Christi θεανθρώπου, in officio suo exaltati, post ascensionem ei à patre collata. Et consistit primò, in perfectione personæ, seu æqualitate τῆς λογῆς cum patre, quam quidem tunc non primò accepit, sed tempore humiliationis tectam iterum manifestavit. Secundò, dignitas hæc consistit in perfectione naturæ humanæ, quæ depositis infirmitatibus supereminenti donorum præcellentiâ, sapientiâ, & potentiâ, ornata est. Tertiò, dignitas hæc consistit in perfectione officii, quia Jesus constitutus est caput Ecclesiæ. Hic verus Trismegistus est rex, Propheta, Sacerdos. Et licet priùs fuerit Ecclesiæ caput, non tamen secundùm utramq; naturam, nec semper exaltatam.

Quartò dignitas Christi consistit in perfectione hónoris, quia tanquam Dominus omnium ab omnibus agnosci, & celebrari debet. Omnia subjecta sunt pedibus Christi

sti glorioſæ victoriæ jure, & licet quædam ſibi refragari videantur: ſunt tamen pro arbitrio ejus coercenda.

Ob. Objicietur contra hanc Chriſti ad dextram Dei patris ſeſſionem, quòd S. *Stephanus* Jeſum videt ſtantem à dextris Dei, *Act.* 7. 55.

Sol. Dicendum, quòd hoc geſtu expreſſit promptitudinem, quâ Chriſtus ſuis præliantibus auxiliatur; ſed cum dicitur Chriſtus ſedere ad dextram Dei, hoc geſtu indicatur majeſtas Chriſti glorificati: utrumq; itaq; verum eſt diverſo reſpectu. Præterea, ſic argumentabitur quidam: Dextra Dei eſt ubiq;; natura humana ſedet ad dextram Dei; ergo eſt ubiq;. Dicendum, quòd ſunt quatuor termini, ſicut in illo: Oceanus ambit terrarum orbem; urbs quædam ſita eſt ad Oceanum: ergo urbs quædam ambit terrarum orbem. Nec unio etiam duarum rerum inſeparabilium requirit, ut ubicunq; eſt una, ibi ſit altera: ſed ſolùm, ut alicubi ſint ſimul, & non diſtent. Hoc patet in anima & capite, quæ inſeparabiliter unita ſunt: & tamen non, ubicunq; eſt anima, ibi eſt caput, cùm anima ſit in pedibus, ubi caput non eſt. Sed in hac re ſuperſedeamus, & bono animo ſimus: Chriſtus ſedet ad dextram Dei patris, intercedens pro nobis. Quantum, Deus bone! ſolatium? Nos itaq; Dominum Jeſum amore ſummo complectamur, & voluntatem ejus faciamus: ſic beati erimus, cum in judicium venerit: de quo in proximo articulo fit mentio.

Inde venturus eſt ad judicandum vivos, & mortuos.

Vox *inde* locum, ex quo Judex venturus est, designat, nempe cœlum. Inde veniet, quò discipuli ascendentem viderunt. *Act.* 1.9.10. Et licet judicii opus assignetur singulis personis, quoad decretum, consensum & authoritatem: exercitium tamen hujus actûs visibilis, & executio committitur filio, quatenus est filius hominis.

Ob. Nil obstat locus, *Jo.* 5.22. Pater non judicat quemquam. *Sol.* Non judicat enim seorsim sine filio, sed per filium.

Nec obstat Christi sermo, *Jo.* 12.47. non veni ad judicandum. loquitur ibi de adventu primo in carnem, in quo non venit, ut mundum condemnaret, sed ut salvaret: non de secundo, qui est ad judicium, adventu.

Nec obstat, quòd Apostoli duodecem tribus Israel, *Mat.* 19.28. & sancti mundum dicuntur judicaturi, 1. *Cor.* 6.7. Hoc enim ab illis fiet approbativè, non authoritativè.

Finis Christi adventûs distributione subjectorum explicatur: ut judicet vivos & mortuos. hîc omnes omninò homines, qui vel vivi, vel mortui dicuntur, respectu statûs, qui judicium præcedit: Vivi, quos extrema judicii dies vivos deprehendet, qui in momento à mortali conditione ad immortalem immutabuntur. Mortui, qui inde ab initio mundi ante diem novissimum vitâ defuncti, tandem tubâ archangeli excitabuntur, & ad tribunal Christi sistentur: ubi simul includuntur angeli, qui non servârunt originem suam, *Jud.* 9.6. ideoq; judicio magni illius Diei vinculis æternis

ternis sub caligine reservantur. 2. *Pet.* 2. 4.

Ob. Objicietur, quòd Diabolus jam judicatus dicitur, *Jo.* 16. 11. &, qui non credit, jam judicatus est. *Jo.* 3. 8.

Sol. Respondendum, quòd hoc fit secundum quid, nimirum, in verbo Dei, in suis ipsorum conscientiis, & quoad pœnæ inchoationem; sed postea judicabuntur, quoad judicii jam facti promulgationem, & manifestationem, quoad pœnæ exasperationem, quoad cruciatuum, tam animæ, quàm corporis consummationem.

Judicium ultimum instituetur, ut unusquisq; referat, quæ in corpore suo fecerit, sive bonum, sive malum; atque ut justitia dei celebretur. Cum Deus justus sit, necessarium est, ut bonis & piis sit perfectè bene: impiis & malis in æternum malè: hoc ipsum in mundo non fit, ideo justum est reddere iis, qui affligunt pios, afflictionem; & his qui tribulationem sentiunt requiem, in revelatione Jesu de cœlo, 2 Thess. 1. 7.

Quòd judicium certò futurum sit contra Epicuræos novimus, annum, mensem, diem, & horam, non novimus, imò nec Angeli sciunt, *Marc.* 13. 32. Errant Fanatici, qui vel ex enthusiasticâ revelatione, vel Arithmeticis calculationibus, & prognosticis Astrologicis, judicii tempus, sed fine vero judicio, determinant. Nos interim in singulos dies & horarum momenta, ad Christi adventum nos præparemus: ne imparatos nos dies ille opprimat, provideamus. Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies; semper incog-

nitus, ut sit semper suspectus, semper itaque tuba illa terribilis, nostris perstrepat auribus, Surgite mortui, & venite ad judicium.

Fuit Symboli pars secunda, de Deo filio. Sequitur tertia, de Spiritu sancto. Credo in Spiritum Sanctum.

Credendum est, quòd Spiritus Sanctus sit Deus, & quòd sit tertia Trinitatis persona, æqualis Patri, & filio in omni perfectione. Hoc constat ex sacris literis, & Ecclesiæ doctrinâ, quæ gloriam æqualem, patri, filio & Spiritui Sancto decantat.

Ob. Dicetur tamen, quòd qui accepit ab alio, non est illi æqualis. Spiritus Sanctus verò accipit aliquid à Patre & filio: ergo. *Sol.* Verum hoc est de illo, qui accipit ab alio partē, in tempore, successivè, & per gratiam: at Spiritus Sanctus accipit à Patre & filio totam essentiam, ab æterno, & per naturam.

Regeret aliquis, quòd missus non est æqualis mittenti. hoc tamen non tenet, ubi missio est ex voluntario consensu.

Dicitur spiritus, quia est essentia spiritualis, & hoc per excellentiam, quia est supra omnes spiritus creatos.

Ob. Objicietur, patrem & filium esse eminentissimè spiritus, & sanctos. *Sol.* Ita sanè sunt absolute, & per naturam: hoc autem per appropriationem tribuitur Spiritui sancto, tanquam nota characteristica, & quia proprium ejus officium est fideles sanctificare. Spirat in corda nostra bonos motus, atque ipse spiratur à Patre & filio,

tanquam

tanquam ab uno principio: & hoc est, quod docent Sancti Patres Orientales, cùm dicunt quòd Spiritus Sanctus procedit à Patre, per filium: quemadmodum dicimus pomum per ramum à radice gigni, nec radix & ramus duo sunt principia. Stagnum oritur à fluvio, & fluvius oritur à fonte: sed aqua fontis, fluvii, & stagni est una & eadem. Pater ut fons, generat filium, tanquam fluvium. Pater & filius, ut fons cum fluvio, spirant Spiritum sanctum, tanquam stagnum: attamen horum una & eadem est essentia. Accusantur Græci recentiores, quòd sentiant Spiritum Sanctum à filio non procedere: nec ego illos excusare plurimùm contendam, at si doctrina eorum moderatè explicaretur, discrimen forsan inter nos & illos esse in verbis, & non reipsâ videretur. Et si quis morosiùs urgeat, nusquam dici, Spiritum Sanctum à filio procedere: nolumus de voce litigare, si concedatur esse spiritus filii, non minùs quàm patris; & mitti à filio sicut à patre, quod secundùm sensum est procedere. Neque credo, quòd Græci hoc denegabunt. Certè processio hæc sit modo ineffabili, & quomodò fiat, nostrum non est rimari.

Spiritus dicitur Sanctus. Quippe est essentialiter sanctus, cum Angeli ita sint, per gratiam creationis, credentes per gratiam adoptionis. Atque iterùm dicitur Sanctus, quia est veræ sanctitatis author, est spiritus vivificus, quia efficit vitam spiritualem in animis nostris. Corpus mortuum est sine anima, & anima mortua est sine spiritu.

Nos cum *Davide* dicamus. Domine ſpiritum rectum in viſceribus noſtris innova. *Pſ.* 51. 10. & ſic breviter explicata eſt, brevis hæc ſymboli pars tertia.

Quarta ſequitur, *Credo Eccleſiam Catholicam.* Credo Eccleſiam, ſcilicet, fuiſſe, eſſe, fore, & me vivum ejus membrum eſſe: Non credo in Eccleſiam: fiducia cordis in Deum ſolùm dirigenda eſt. Eccleſia hæc eſt cœtus hominum vocatorum, amplectentium verbum Dei, & rectè utentium Sacramentis. Eccleſia ſic dicta eſt, à Græco ἐκκαλεῖν. Eccleſia apud Athenienſes erat civium conventus, voce præconis à reliqua turba ad audiendum ſenatûs ſententiam evocatus: atque apud Chriſtianos eſt cœtus fidelium, prœconio verbi è regno diaboli, ad audiendum Dei voluptatem vocatus. Eccleſia dicitur ſancta, quia pretioſo ſanguine Jeſu ſanctificatur, quia ejuſdem merito per verbum, Sacramenta & fidem purificatur, quia exercitiis ſanctis cultûs divini, & charitatis Chriſtianæ exercetur. Non ſunt vera Eccleſiæ membra, qui foris nitent ſanctitate, intus ſcatent iniquitate: nec illi, qui ſimiles laſcivis Monachis quorum corpus in choro, ſed animus in thoro: de quibus olim dixit *Innocentius*: Nocte venerem amplexantur, manè virginem venerantur. A Sanctitate externa non poſſumus neceſſariò argumentari ad Sanctitatem Eccleſiæ internam. Vos verò, dilectiſſimi adoleſcentuli, eſtote ſancti intus & extrà. Eſſe & videri ſanctos bonũ eſt; videri, & non eſſe peſſimum. Simulata ſanctitas.

duplex

duplex iniquitas, inquit, S. *Augustinus*.

Ut Pergamus, Ecclesia dicitur Catholica, hoc est, universalis. Vocabulū hoc in Scripturis ἄγραφον, & post tempora Apostolorum usurpari cœpit.

Sic appellatur Ecclesia, quia in universo mundo ex quorumvis hominum genere colligitur, & quia Catholicam doctrinam, Prophetarum, Christi, & Apostolorum unanimi consensu profitetur & approbat. Sic Catholicus idem est quod Orthodoxus, & opponitur hæreticò: veluti primò opponebatur hæresi Arrianæ, & aliis non rectè de Trinitate sentientibus. Ac dicebantur Catholici, qui veram doctrinam de Christi divinitate in concilio Nicæno expositam, sequebantur. Hæc significatio τῆ Catholici, præcipua est. Ubi non est universalitas fidei, ibi nihil proficit universalitas temporis & loci.

Ob. Si dicat aliquis, Ecclesiam Romanam esse Catholicam respectu loci. *Sol.* Est contradictio in adjecto, quia dissident omne & unum, Universale & Individuum, totum & pars. Nec Romana Ecclesia Catholica est respectu doctrinæ, quia à fide turpiter defecit, & gravissimos errores nutrit.

Nec obstat, quòd Catholica nominetur. Non sufficit dici, sed esse. Non videndum quid fiat, sed quid fieri debeat. Pontificii a nostris vocantur Catholici, sed secundùm ipsorum opinionem, vel ironicè, quomodo & ipsi nos Reformatos

matos nominat. Sed Ecclesia nostra est verè Catholica, quia Doctrina ejus ab Apostolis in universo mundo est annunciata, quia à cujusvis cōditionis hominibus recepta, quia omnibus sęculis, licet non pari gradu, fuit proposita, & quia sacrę paginę consona. Alii nominis putamine se speciosè oblectent, nos nucleum rei obtinere malumus.

Hucusque de Ecclesia, nunc aliquid de communione sanctorum in Ecclesia dicamus.

Communio est relatio inter duos, pluresvè rem aliquam communem habentes.

Sancti sunt membra Ecclesiæ, quæ dicuntur sancta, vel justitiæ Christi imputatione, vel conformitatis cum lege inchoatione, vel à mundo segregatione.

Communio sanctorum est Christi capitis, omniumque ejus beneficiorum ac donorum communis inter membra Ecclesiæ possessio. Hæc itaque communio consistit primò in unione membrorum Ecclesiæ cum capite Christo, quæ non est subsistentia corporis Christi intra nostra corpora: sed ejusdem spiritūs inhabitatio. Et sanè terque quaterque beati, quorum κοινωνία, seu societas est cum patre, & cum filio ejus Jesu Christo: de qua loquitur Divus *Johannes, Epist.* 1. c. 1. v. 3. Deus bone, quàm nobilis associatio hæc! quid in hac vita desiderabilius, quàm perfectam cum Deo patre & Christo habere amicitiam, per fidem, per spem, per reciprocum amorem, per mutua colloquia, obsequia, gaudia, per communicationem bonorum, sicut est inter

patrem

patrem & filium adoptivum, inter ſponſum & ſponſam? Oro itaque vos per copioſam ſanguinis Jeſu in cruce effuſionem, ut cum Deo ambuletis, ſeu converſemini: non in tenebris infidelitatis, vel peccati, ſed in luce fidei, gratiæ, & virtutis. Deus ſuâ naturâ lux eſt, expers tenebrarum; ſi velitis illi aſſociari, debetis neceſſariò tenebris, & dulciſſimis peccatis valedicere.

Sed ad ſecundum hujus communionis membrum tranſeamus: Illud eſt unio membrorum Eccleſiæ inter ſe, multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra: inquit Gentiũ Doctor, *Ro.* 12. 5. atq; exinde vir ſanctus aurea infert præcepta, inter cætera hæc, dilectio ſit ſine ſimulatione: neceſſitatibus ſanctorum communicate: gaudete cum gaudentibus: flete cum flentibus: idipſum invicem ſentientes: quaſi diceret, tantam vellem inter vos Chriſtianos eſſe Sympathiam, ut ſingulorum bona vel mala, proſpera vel adverſa, æquè vos atque illos tangant.

His Apoſtoli monitis, dilectiſſimi auditores, vos obſequium præſtate. Sitis vos humanitate, amicitiâ, charitate, manſuetudine, benignitate, præditi: pudeat Academicos, qui animalia aliis magis rationalia eſſe deberent; furori, rixis, inimicitiæ, inobedientiæ, maledicentiæ, inhumanitati & vindictæ, eſſe deditos; hæc vitia, literarum humaniorum ſtudioſis indigna, fugite, atque exemplo Chriſtianorum Primitivæ Eccleſiæ, cor unum, atque animam unam habete, Act. 4. 32.

Et

Et si remiseritis aliis injurias vobis illatas, vos etiam remissionem peccatorum à patre cœlesti obtinebitis. De qua verbis sequentibus agitur.

Credo remissionem peccatorum.

Remissio peccatorum est voluntas Dei, quâ propter Christi meritum credentibus remittit, & culpam, & pœnam peccati. Peccata eorum, quamlibet enormia remittentur, repugnat infinitati bonitatis divinæ vinci aliquâ malitiâ humanâ. Injuriam facit Deo, qui de ejus misericordia diffidit; rectè S. *Augustinus* contra illa verba *Cain*, *Gen.* 4. Major est mea iniquitas, quàm ut possit mihi condonari. Sic dixit: Mentiris *Cain*, major enim est Dei bonitas, quam omnium hominum iniquitas; & alibi scripsit, quòd major est Dei misericordia, quàm omnium hominum miseria. Egregia sanè est hæc oratio illius ad Deum in Meditationibus suis: Etsi Domine, ego commisi, unde me damnare potes: tu tamen non amisisti, unde me salvare potes. Verissimè, nam si peccator resipiscat, iniquitatum ejus non recordabitur Dominus. Derelinquat ergo impius viam suam, & revertatur ad Dominum, & Dominus miserebitur ejus: *Es.* 55. 7. In Deo est omnipotens misericordia, & misericors omnipotentia; tanta est benignitas omnipotentiæ ejus, & omnipotentia benignitatis; ut nihil sit, quod nolit, aut non possit relaxare conversò: imò ultra remissionem sæpe abundantissimam gratiam donat Deus. Quid non potest pœnitentia? Quis in sæculo peccavit enormiùs

Paulo?

Paulo? Quis in religione enormiùs *Petro?* Illi tamen per pœnitentiam assecuti sunt, non solùm ministerium, sed etiam magisterium sanctitatis.

Sed ut pleniùs articulum hunc explicemus,

Sciendum est, quòd Deus est remissionis causa efficiens principalis; ille solus remittere potest peccata authoritate primariâ. Sacerdotes verò, seu ministri Ecclesiæ sunt causæ tantùm administrantes, quatenus internuncii sunt remissionis divinæ. Ipse Deus per se tantùm remittit peccatum, quia animam mundat ab interiori macula, & à debito æternæ mortis solvit; non autem hoc sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit solvendi & ligandi, id est, ostendendi homines ligatos, & solutos, potestatem: ut scribit *Lombardus*, 4. *Sent. dist.* 18.

Ob. Dicet aliquis, quòd non congruit cum justitiâ Dei peccatum remittere, & non punire.

Sol. Verum hoc, si neque puniat in peccante, neque in alio; scilicet, sponsore: Deus autem puniit peccatum in Christo.

Regeret quidam, innocentem pro nocente punire injustum esse. Respondendum, non esse, si innocens se sponte offerat, si possit è pœna emergere; & si hoc fiat ad Dei gloriam, hominúmque salutem, quæ omnia Christo optimè conveniunt.

Objicietur ulteriùs, Dei remissionem non esse gratuitam; quia peccata remittuntur propter satisfactionem. Sed dicendum, remitti propter satisfactionem alienam. Attamen dicetur, quòd ille,

ille etiam, qui hoc pacto remittit, non remittit gratis. Reſponderi poteſt, verum eſſe, niſi ipſe det ſatisfactionem: Deus autem Pater dedit Filium, ut pro nobis ſatisfaceret.

Hactenus *De peccatorum remiſſione*, ſequitur *carnis reſurrectio. Credo carnis reſurrectionem.*

Senſu rationis corruptæ intelligere difficile eſt, quomodo idem corpus poſt tot tranſmutationes reſurgat, & eidem animæ uniatur: ideoque multi in Areopago *Paulum* irridebant, cum reſurrectionem mortuorum audiiſſent: lumine tamen fidei clariſſimè liquet talem ſupereſſe reſurrectionem; Non erit illis difficile hoc credere, qui Deo credunt nil eſſe difficile: facilior eſt carnis reſtitutio, quàm conſtitutio. Multo minus eſt reſtituere quod fuit, quàm facere quod non fuit. Qui potuit omnia ex nihilo efficere, facillimè poteſt corpora noſtra ex aliquo; nimirùm, pulvere terræ reficere: & cur miremur renaſci poſſe, quod fuerit, cùm videamus natum eſſe, quod non fuit. In Veteri Teſtamento Sanctus *Job*, vir ante Evangelia Evangelicus, de hac re non dubitavit: Ego, inquit, novi redemptorem meum eſſe viventem; & poſtquam corroſerint vermes corpus iſtud, in carne mea videbo Deum: quem ego viſurus ſum, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alienus. *Iob. cap. 19. 25.* Vivent mortui tui, inquit *Eſaias* ad Dominum, cum cadavere meo reſurgent: *cap. 26. verſ. 19.* In novo autem Teſtamento Dominus Jeſus, *Ioannis 5. verſ. 28.* idipſum apertiſſimè teſtatur:

Veniet

Veniet hora in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus; & prodibunt, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui verò malè egerunt, in resurrectionem condemnationis. Divus *Paulus* etiam resurrectionem egregiè confirmat argumentis plurimis: 1 *Cor.* 15. quæ argumenta vellem vos exinde petere.

Errarunt igitur Sadducæi, qui resurrectionem non crediderunt: *Act.* 23. 8. & qui cum illis faciunt Epicuræi, quibus mors ultima linea rerum.

Ob. Objicietur tamen ex *Ecclesiastis, c.* 3. *v.* 19. quòd idem sit eventus hominis ac bestiæ. Bestiæ verò non resurgunt, ergo neque homines resurgent.

Sol. Dicendum, Ecclesiasten ibi loqui ex sensu hominis naturalis, quem loquentem inducit; & cujus sententiam posteà refellit: Deinde, loquitur de generalibus qualitatibus hominis & bestiæ, non specialibus; atque in quo similitudo sit inter homines & bestias docet, nempe, in morte naturali; non autem agit de statu & conditione post mortem naturalem.

Præterea resurgent eadem numero corpora, atque cum perfectione & pulchritudine: eâdem formâ, ut verisimile est, quam homines assequuturi erant, si virilem ætatem attigissent. Corpora nostra erunt similia clarificato corpori Christi, ποῖον, non πόσον, in qualitate, non in quantitate; & aliqualiter, non æqualiter.

Corpora

corpora noſtra erunt ſpiritualia, non ſubſtantiâ, ſed quibuſdam qualitatibus & proprietatibus: habebunt enim agilitatem, ſubtilitatem, incorruptibilitatem.

Errant Anabaptiſtæ, qui negant eadem numero corpora reſurrectura: & in ſecundo Chriſti adventu affirmant, nova corpora eſſe creanda.

Erravit *Origenes*, qui ſomniavit, corpus aërium, non carneum reſurrecturum eſſe: Cautè admodũ traditur in Symbolo, quod & ipſa caro reſurget. Reſurrectio enim eſt illius, quod cecidit: ut verbi ſono exprimitur.

Sic audiviſtis doctrinam de Reſurrectione. Quid tandem reſtat, Academici, niſi ut vos moneam, imò & meipſum: ut jam reſurgamus ad vitam gratiæ, quò poſſimus reſurgere poſthâc ad vitam gloriæ, de qua in ultima articulo fit mentio.

Credo vitam æternam: Apud inferos horrendo modo fit miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu: quia & mors ſemper vivit: & finis ſemper incipit: & defectus deficere neſcit: mors perimit, & non extinguit. Conſervet nos Deus ab æternitate hac, quod ut faciat, agamus pœnitentiam, emendemus vitam, corrigamus ſuperbiam: non enim eſt tam facilè ſalvari ac dicunt homines. Hoc ſi agamus, ibimus nos in vitam æternam.

Hæc vita eſt æternum eſſe viventium in cœlo, quod eſt æternum benè eſſe. Dicitur vita æterna, non ratione initii, & a parte ante: ſed ratione finis,

nis, & à partè post, quia in perpetuum est duratura.

In hac vita erit necessaria præsentia omnis boni, & necessaria absentia omnis mali. Quicquid amabitur aderit, nihil desiderabitur, quod aberit. erit ibi vita sine morte, dies sine nocte, securitas sine timore; jucunditas sine dolore; tranquillitas sine labore, pulchritudo sine deformitate, fortitudo sine debilitate, rectitudo sine perversitate, charitas sine malitia, veritas sine fallacia, felicitas sine miseria. Gaudebunt beati ob loci amœnitatem, quam possidebunt, ob jucundam societatem, in qua regnabunt, ob corporis glorificationem, quam habebunt, ob mundum, quem contempserunt, ob infernum, quem evaserunt, imò ob Deum, quem in sæculum sæculi visuri sunt.

In vita æterna sunt delitiæ delitiarum, & divitiæ divitiarum. Bona quę ibi sunt, exuperant omnem intellectū, quantò magis Sermonem meum: Mirabor itaque silendo, quod non possum exprimere loquendo.

Ultimò, notandum, quod hæc vocula *Amen*, adjungitur Symbolo, tanquam signaculum fidei, ac si diceret Christianus: Credo hæc omnia esse verissima.

Quod restat, ingenui adolescentes, vos ad lauream verè auream in Academia cœlesti aspirate, & cæptis vestris aspiret Deus: ut ex hac Aula, ad Collegium Jesu, & omnium animarum, vel Universitatis

versitatis Sanctorum in regnum gloriæ tradue-
mini: ubi Doctorem optimum maximum, ipsum
Christum audiatis, & æternùm celebretis. Quod
faxit Deus.

Amen.

S. Augus. de Civit. Dei, lib. ult. cap. ult.

Non alius est finis, nisi pervenire ad regnum,
cujus nullus est

FINIS.

ERRATA.

Pag. 7. in marg. pro *pas.* lege *par.* Ib. lin. 17. lege *præcipuè.* p. 26 l. 10. lege *eam.* p. 27. l. 24 lege, *describunt.* p. 30. l. 6. lege *fieret satis*: p. 33. l. 9. lege *prob.* p. 36. l. 29. lege *disceptationem.* p. 37. l. 2. lege *ille sepulturam omittat.*